

## De Francorum Gallorumque origine Troiana.

Propertianum versum hunc, II 13, 48:

Gallicus Iliacis miles in aggeribus

in quo Ilium contra Nestorem a Gallis defendi videmus, a temporaminibus temerariis doctorum in proximo capite vindicavi. Quod si bene cessit, quo sensu iam accipere licebit verba haec sincere tradita? et quo lumine declarari poterit sermonis inaudita obscuritas?

Non soli Romani fuere qui a Troia Priamoque principium ducerent. Et primum quidem mediæ aevi fabularumque Germanorum recentium testimoniis utamur.

Haganum sive Haganonem de Tronje fortissimum virum quis Nibelungici carminis amator ignoraverit? Est vero de Tronje de Troia; sic canit poeta Waltharii Aquit. *Hagano . . . egregiae veniens de germine Troiae* v. 50. Xanthen sive Santen oppidum Rhenanum parvam Troiam vocat Rythmus de Sancto Annone; *Troiam Francorum* sive *Sanctam Troiam* alii<sup>1</sup>; consimile nempe Xanthis fluminis nomen esse visum est celebratum in antiquo Bello Troiano ('den bach hiȝin si Sante nâ demi wazzerre in iri lante' Rythm. Annonis). Nam *Santhus* fluvius e. g. etiam in Senecae Agamemnone v. 213 scribebatur. *Brimir* gigas ille in Eddæ fabulatione quam Voeluspam nuncupant, similitudinem *Priami* prae se ferebat<sup>2</sup>, Odin ipse Troiae, i. e. in Asgardo regnasse fertur in Snorra Edda videbanturque dei Asae ex Asia oriundi quasi Asiani<sup>3</sup>. Magnam

<sup>1</sup> v. K. L. Roth in Germaniae t. I p. 38; ipsa 'parva Troia' et Xanthis rivi imitatio manavit ex Verg. Aen. III 349 sq., id quod eleganter perspexit W. Wilmanns in Beiträge zur Gesch. d. älteren deutschen Litt. fasc. 2 (1886) p. 37.

<sup>2</sup> Ab ipsa Voeluspa hoc nimirum alienum fuerat; sed vide Eddam Snorram Sturlusonar (ed. Hafniae a. 1848) tom. I p. 227 in 'Epilogo': 'eximia illa aedes quam Asae vocarunt aedem Brimeris vel aedem cerevisiarum, haec fuit aula regis Priami'; liceat nempe uti versione Latina.

<sup>3</sup> Vide Snorram in 'Iudificatione Gylviana' c. 53, ibid. I p. 202: 'Vidar et Valius . . . incolunt in campo Idaeo ubi olim Asgardus fuit'

urbem Parisiorum ad Paridem referebant<sup>1</sup> et Ansgis vel Anchis Caroli Magni avus iam apud Paulum Diaconum 'ab Anohisa Troiano longo post tempore nomen duxisse' dicitur.

Permiscabantur enim felicior illo aevo et saecula et zonae telluris, fuitque latissimus hic mundus quasi unus equestris gloriae campus sive hortus rosarius, seriesque saeculorum tamquam dies unus qui heri praeterlapsus est. Fovebantur autem haec de Troica origine somnia libris poeticis, quos sedulo tum lectitabant, multifariis de Bello Troiano conscriptis. Ne enim Vergilium orbis amorem adferam<sup>2</sup>, de bello Troiano historia sub Daretis Phrygii nomine circumferebatur, quam saeculo XII exeunte in versus traiecit Iosephus Iscanus monachus<sup>3</sup> Claudiani poetae asaecula. Simul Dictys latinus sive Septimius ille tradebatur<sup>4</sup>. Non infrequens lectio fuit Pindari Thebani<sup>5</sup>. Nominentur porro Bernhardus Floriacensis De excidio Troiae atque Ilias Simonis Caprae aureae<sup>6</sup>. Hi omnes fere praeter Septimium et ipse Dares in rebus gestis narrandis favent Troianis, non favent Graecis heroibus. Inde fertili proventu natae sunt magnae illae de Troia cantilenae quas profuderunt Benedictus sive Benoitius Mauranus et ex hoc profecti Guido de Columna, Jacobus de Maerlant, Herbort de Fritslar et Conradus Wirceburgensis<sup>7</sup>. Sic quoque factum est ut saeculo XI in Dudonis itemque in Guilelmi Gemmeticensis historiis Normanni cum Danis ad Troiam et Antenorem generatione fabulari reducerentur<sup>8</sup>.

Iam vero hac quoque in originatione praeiverat antiquius saeculum. Franci iam magni Chlodovechi aetate, quin et ipsi olim Sygambri Troia oriundos se esse credebant tradebantque. Quam

et p. 206 Thor pro Hectore, Ulixes pro Loka habetur; similia etiam in Formáli leguntur, sed interpolationibus variata; cf. E. Wilken, Untersuchungen zur Snorra Edda (a. 1878) p. 154—157.

<sup>1</sup> Ita Johannes Parisinus saeculo XIV.

<sup>2</sup> Cf. Comparetti Vergilio nel medio evo.

<sup>3</sup> Cf. H. Dunger Die Sage v. trojan. Krieg, 1869, p. 23.

<sup>4</sup> De Septimio verso ex Graeco conferatur Noack Philol. suppl. VI p. 401 sqq.

<sup>5</sup> Vide Manitium in Philologo L p. 368 sq.

<sup>6</sup> Cf. Dunger l. l. p. 21 sq.

<sup>7</sup> De his omnibus adeatur et Dunger et W. Greif in Ausgaben u. Abhandlungen aus d. Gebiete der roman. Phil. tom. 61.

<sup>8</sup> Cf. G. Heeger Ueber die Trojanersagen der Franken und Normannen, Landau a. 1890, p. 25 sq.

quaestionem cum olim doctissima lucubratione movisset Rothius, partem eius recte refutarunt F. Zarncke<sup>1</sup> et E. Lüthgen<sup>2</sup>, quos secuti sunt G. Heeger et W. Wilmanns<sup>3</sup>, partem nimis neglectam iacere video. Itaque ea qua par est brevitate hoc loco retrahendam esse constitui. Tres autem potissimum hac de re nuntii antiqui aetatem tulerunt.

I. Septimo saeculo haec scripsit chronographus Fredegarius qui vocatur scholasticus in 'Scarpso de cronica Gregorii' auctoribus ridicule adscriptis Hieronymo et Vergilio: *De Francorum vero regibus . . . Priamum primum habuisse regi; cum Troia fraude Oleae caperetur . . . postea Frigam habuissent regem . . . alii cum Friga vocati Frigiis Asiam pervacantes litoris Danuvii fluminis et mare Ocianum consedissee. . . Eurupam . . . pars cum Francionem eorum rege ingressa fuisse. . . Reni ripam occupant nec procul a Reno civitatem ad instar Trogiae nominis aedificare conati sunt.* Reliqua parum ad rem<sup>4</sup>.

Fuerunt igitur reges tres Priamus Friga Francio; tertius iam ad Rhenum accessit; oppido quod condidit Troiae nomine praedito coloniam Trajanam significari fere consentaneum est<sup>5</sup>.

Simillima idem pluribus rettulit Fredegarius in 'Scarpso' chronicae Hieronymi<sup>6</sup>; ubi memorabile quod ex Francione Francorum vocatam esse nationem affirmat (*per quem Franci vocantur*); quae fabula tum late patuerat; nam iam Laurentius Lydus de magistr. III 56 ἔξ ἡγεμόνος nuncupatos esse audiverat, idemque accepit Isidorus orig. IX 2, 101. Ceterum narratio in Hieronymi Scarpso prior fuisse videtur, inde transcripta in Scarpsum Gregorii<sup>7</sup>.

II. Procedente octavo saeculo in „gesta Francorum“ sive in „librum historiae Francorum“ haec illata sunt quae prorsus differunt<sup>8</sup>: post excidium Troiae Priamum cum Antenore magnoque

<sup>1</sup> In Sitzungsberichte der sächs. Ges. der Wissensch. tom. XVIII a. 1866 p. 257 sqq.

<sup>2</sup> Die Quellen und der historische Werth der fränkischen Trojasage. Bonnæ a. 1875.

<sup>3</sup> l. l.

<sup>4</sup> v. Kruschii editionem in Mon. Germ. hist., scriptorum rerum Merovingicarum tomo II p. 93.

<sup>5</sup> Dubitat Wilmanns l. l. p. 115.

<sup>6</sup> Cf. Mon. Germ. l. l. p. 45 sq.

<sup>7</sup> Vide Lüthgen l. l. p. 33 sqq. et Krusch in N. Archiv der Ges. f. a. D. Geschichtskunde t. VII p. 439 sq.; item Heeger l. l. p. 13 sqq. Aliter W. Wilmanns Beiträge zur Gesch. d. älteren d. Litt. fasc. II p. 114.

<sup>8</sup> Cf. Mon. Germ. l. l. p. 241.

exercitu Pannonias ingressum esse iuxta Maeotidas paludes, civitatem ibi aedificare coepisse et appellavisse Sicambriam. Post „multos annos“ sub Valentiniano bellum Alanorum fuisse; quos postquam deiecerint Troiani, Francos esse appellatos, hoc est feros. Post decem annos aciem Valentinianus imperator contra ipsos Francos direxit; tum cecidit ille Priamus eorum fortissimus. Mox „a Sicambria“ egressi „in extremis partibus Hreni fluminis venisse“ dicuntur. Porro nominantur Priami filius Marchomir, Antenoris filius Sunno, Marchomiris filius Faramundus, Faramundi Chlodio.

Fabulam II ex fabula I transformando natam esse non posse facile perspicitur. Francorum nomen diversa ratione explicatur, de qua rursus conspirat Isidorus qui l. l. etiam haec: ‘alii eos a feritate morum nuncupatos esse existimant’. Emergit Sicambriae nomen quod oppidum esse infra videbimus; denique in Pannoniis consedissee Troianos audis, quod ut differt ab I, ita conspirat cum gravissimo auctore Gregorio hist. Franc. II 9 qui fabulas has quidem repudiavit universas, dicit tamen: *tradunt multi eosdem de Pannonia fuisse degressus et primum quidem littora Rheni amnis incoluisse.*

III. Aethicus denique in cosmographia quem saeculo VII adscribunt<sup>1</sup> Francorum quidem populum prorsus ignorat, quod gravissimum est; non novit ille nisi Francum quendam Troianum et Vassum, utrumque ex regia natum prosapia, qui cum Romulo belligerant; mox *Francus . . . et Vassus videntes se superatos . . . pulsus a sede statim Raetiam penetrantes ad invia et deserta Germaniae pervenerunt laevaque Maeotidas paludes demittentes more praedonum . . . atque latronum degentes urbem construunt; Sicambriam barbarica sua lingua nuncupant, idem (legas id est) gladium et arcum*“ (Aethicus ed. Wuttke p. 77).

Haec ipse Aethicus sibi proprio Marte fluxisse non videtur; nam ad Francorum originem explicandam fabula haec quoque inventa fuisse debet; tamen ipsos Francos Aethicus non novit; igitur accepit rem ab aliis, nescit originem Francorum inde deduci posse<sup>2</sup> omninoque quo consilio ficta fuerit dissimulat. Concordant autem fabulae II et III hac in re, quod ad Danuvii ripas Maeotidasque paludes Troianos consedissee tradunt, nisi quod

<sup>1</sup> Scilicet post Isidorum et Merovingorum aetate; cf. Fr. Haase De medii aevi stud. philol. Vratislav. a. 1856 p. 7 sq.

<sup>2</sup> Cf. Luethgen p. 26 sq.

hic Raetia, illic Pannoniae memorantur; sed etiam de Sicambriae urbis nomine congruunt; quod nomen ex gladio et arcu derivando Aethicus quid sibi voluerit infra reputabimus. Denique in II Alani, in III Albani occurrunt mira nominum similitudine, ea tamen diversitate, ut contra Alanos pugnent Franci, Albani Franci ducis socii fuisse dicantur<sup>1</sup>.

De Fredegarii fabulae inventione coniecturam fecit Heeger l. l. p. 19 sqq. Aethicus vero utrum post Gesta Francorum cosmographiam scripserit necne omnino ambiguum est; Gesta Francorum ei cognita fuisse certe adhuc probavit nemo<sup>2</sup>. Iam vero neque fabulam I ex II neque II ex I derivari posse unus quisque condonabit; neque vero sive I ex III sive III ex I derivabitur. Denique ne II quidem ex III defluxit; nam in illa quod nominantur Pannoniae, id Aethico non debetur, sed ei auctori qui cum Gregorio Turonensi conspiraverat. Patet etiam eum qui fabulam III invenit, Francorum nomen ex 'Franci' regis nomine, non ex 'feritate' explicare voluisse, ut hac quoque in re discrepent II et

<sup>1</sup> De Albanis his, quibus etiam Albae Longae memoria admixta est, v. W. Wilmanns p. 127.

<sup>2</sup> Scilicet neque Kruschius probavit Mon. Germ. l. l. p. 220 neque Heeger l. l. p. 12 sq.; qui ambo comparatis inter se Gestis et Aethico et Isidoro mirifice lapsi sunt. Sic scilicet Isidorus IX 2, 27 de Germanis: . . . *inmania corpora immanesque nationes saevissimis duratae frigoribus, qui mores ex ipso coeli rigore traxerunt, feroces animi et semper indomiti*. Sic Aethicus p. 16 ed. Wuttke: *quod sint inmania corpora immanesque nationes saevissimis moribus duratae, adeo indomiti, frigore et rigore ferentes*. Sic denique Gesta c. 5: *inmania corpora . . . inmanisque nationes seivissimis duratae semperque indomiti ferocissimi*. Iam Heeger Kruschium secutus haec concludere ausus est: 'Ausserdem haben die Gesta in dem Ausdruck Isidor's *saevissimis duratae frigoribus* gedankenlos das letzte Wort weggelassen; Aethicus sucht diesem Mangel abzuhelfen und fügt seltsamer Weise *moribus* hinzu!' Sic effici ille putat Aethicum non Isidorum, sed Gesta inspexisse; qua in re plane caecutivit. E contrario non Gesta, sed Isidorum potius adhibitum esse ab Aethico certissime apparet. nam Aethicus dedit *frigore et rigore*; quae vocabula unde tandem manarunt nisi ex *coeli rigore et frigoribus* Isidori? Indidem autem Aethicus illud *moribus* desumpsit, nam Isidorus: *qui mores ex . . . rigore traxerunt*; contra in Gestis neque *mores* adsunt neque *rigor* neque *frigus*. Quibus similitudinibus luculentissimis observatis summa cum necessitate colligitur non ad Gesta, sed ad ipsum Isidorum redire Aethici verba. Ceterum nonnulla sane in Gesta etiam diligentius ex Isidoro transcripta sunt quam ab Aethico; vide Kruschium; qua tamen re nihil effici in propatulo est.

III; discrepant etiam de Alanis atque Albanis, ut Priamum illum taceam et Valentianum in II nugatorie coniunctos.

Itaque saeculo VII variae de Francorum origine narrationes circumferebantur; quaeritur utrum noviciae tum fuerint an ex vetustioribus fontibus delatae sive ad Aethicum sive ad Fredegarium. Qua in re iudicanda est sane quod mireris apud Gregorium Francorum historicum saeculo VI altum de iis esse silentium. Cavendum vero ne nimium huic silentio tribuamus. Potest enim Gregorius eas neglexisse videri propterea quia hariolationes debito ineptiores putabat nimisque a vero et ab emendata temporum ratione abhorrentes. Utque Fredegarium et Gesta Francorum secure mittamus et de Aethico solo coniecturam faciamus, hunc non propria Minerva fabulam finxisse et supra diximus et infra probabimus; Gregorio vero hic fons ex quo Aethicus sua sibi prompsit, facile ignotus esse potuit et delitescere; quod eo facilius statuitur, quia tantummodo de viro Troiano, cuius Franci nomen, loquitur Aethicus, hunc 'Francum' patrem sive originem gentis fuisse Francorum nullo verbo asserit.

Iam vero in Aethicum animum dirigamus. Qui cosmographus neque temporum nimirum rationes accurate observavit et terrae regiones diversosque orbis tractus audacissima ignorantia permiscuit. Ceterum licet nugatorem vocemus et impostorem inanumque captatorem ventosum somnulentum subdolum, non ita tamen deformavit res quas acceperat, ut non ex sterquilino nobis tamquam margaritam eruere concederetur.

Et maximi ponderis *Vassi* Troiani nomen est, quod Aethicus servavit, tanti scilicet aestimandum, ut vel propter hoc unum maior his in rebus auctoritas Aethico sive Aethici auctori accrescat; quam rem infra pluribus agitabo, Aethici auctorem Gregorio antiquiorem fuisse confirmabo. Hoc ipsum de Vasso argumentum quia et Zarncke et Luethgen sicco pede transierunt, ad finem quaestionem non perduxerunt. Neque Heeger quia Aethicum sprexit, verum assecutus est.

Supersunt autem quibus fabulae III opem feramus sive eius fidem et auctoritatem multis numeris superiorem esse demonstremus. Et primum emendatiorem praestitit computationem saeculorum; nam quae in III satis apte Romuli aevo accidisse feruntur, in II ad Valentiniani saeculum ridicule adscripta sunt; atque in I tres hominum aetates sive regna Priami et Frigae et Francionis sufficere visae sunt, quibus vastum tempus inter Troiae excidium et 'Pompeium consulem' quod intercedit expleretur — ut de Pom-

peio ipso taceam qui in I cum Francis et Saxonibus bella gerit; quas ego nugas brevitati consulens supra, cum de fabula I referrem, consulto omisi. Itaque ipsa temporum ratio observata magis commendat Aethicum quam Fredegarium aut Gesta Francorum.

Sequitur locus qui est de vocis *Francus* significatu. Et fuit qui Francos, i. e. Φράγγους, vocari opinaretur quia 'ridendo fidem frangunt' (Vopiscus in vita Proculi 13, 3). Graecus rhetor hunc lusum sibi concessit: γένος Κελτικὸν . . . οὕτως εὖ πεφραγμένον πρὸς τὰ τῶν πολέμων ἔργα ὥστε . . . ὀνομάζονται Φρακτοί· οἱ δὲ ὑπὸ πολλῶν κέκληνται Φραγκοί (Libanius Εἰς Κωνσταντα καὶ Κωνσταντίου III 316 R.). A 'ferocitate' nomen deduci iam saeculo VI accepit Isidorus (supra p. 509); idem vero Isidorus ab aliis esse deductum ex 'cuiusdem proprii ducis nomine'. Hanc sententiam latissime patuisse eodem saeculo VI confirmat Byzantinus scriptor Laurentius Lydus, ἔξ ἡγεμόνος Francos appellatos esse commemorans. Itaque Isidorus et Laurentius etiam ea in re conspirant, quod non regem, sed ducem fuisse aiunt. Et haec quidem sententia non solum in fabulam I transiit, ubi Francio inducitur (nisi quod perperam rex, non dux fuisse perhibetur Francio), sed subest illa etiam fabulae III. Nam etsi Aethicus ipse gentem Francorum omnino non respicit neque ideo ex Franco suo Troiano Francos derivat, tamen olim hanc fabulam eo consilio compositam esse necessario praesumitur, ut ex duce aliquo antiquissimo eponymo et archegeta nationem Francicam ortum habuisse appareret. Fuit igitur ea fabula ipso Aethico sine dubio antiquior. Ceterum Aethicus Francum non regem dicit, sed utrumque Francum et Vassum ex regia Troiae prosapia remansisse.

Pluribus porro in *Sichambriae* urbis vel civitatis mentione immorandum est, quam Aethicus a Franco et Vasso Troianis fere inter Raetiam et Maeotidem conditam esse somniat; id ipsum ex fabula III transiit in fabulam II. Huius urbis commenticiae inventor noverat sine dubio ex Sygambri nationem Francorum proferatam esse; conditur nempe Sygambria, nondum conditur Francia. Incipit autem Francorum natio clara haberi iam tertio saeculo (prima memoria apud Vopiscum Aurelian. c. 7 ad annum 241) Sygambrique tum ipsum coepti sunt oblitterari. Nam nomen Sygambrorum ut a poetis docte conservabatur, Claudianum dico, Apollinarem Sidonium, Venantium Fortunatum, Remigium<sup>1</sup>, quin

<sup>1</sup> Cf. Roth l. l. p. 45, et 36; Muellenhoffium in Zeitsch. f. deutsch. Alt. XXIII p. 26 sqq.

etiam Pauli et Petri carmina<sup>1</sup>, ita tamen a vita et linguae usu iam quarto fere saeculo certe alienissimum fuit<sup>2</sup>. Cuius rei certissimum documentum Ammiani Marcellini historia est, quippe qui nusquam Sygambros, ubique Francos scripserit. Denique licet Claudianus Sidoniusque synonymos esse Francos et Sygambros compertum habuerint, fortasse etiam parti alicui Francorum diutius hoc nomen inhaesisse acceperint, nusquam tamen id novisse se produnt, Sygambros Francis priores fuisse et ex illis hos oriundos. Id ipsum noverat auctor Aethici. Nam Sichambriam urbem antea extitisse testis est quam nationem Francorum; itaque certe quarto vel quinto saeculo neque vero postea primum Aethici fabulae auctorem floruisse statuerim. Ceterum nomen Sygambrorum apud Orientis partium scriptores diutius obduravit; nam Laurentius Lydus de magistr. III 56 Iustinianum non contra Francos, sed contra Sygambros bellum parasse refert, deinde adicit, nunc quidem a Rheni et Rhodani accolis eos Francos nuncupari, et quidem ἐξ ἡγεμόνος; idem I 50 Treveros ἔθνος Γαλατικόν ad Rheni ripas habitantes recenset, haec autem adnotat: eos ab Italis Sygambros, nunc vero nostro tempore (καθ' ἡμᾶς) a Galatis Francos dici<sup>3</sup>. Sensit igitur in appellatione et temporis esse diversitatem et nationum.

Simul in ipsius nominis *Sichambriae* explanationem est inquirendum<sup>4</sup>. Et primum quidem vel hoc memoratu dignum, quod vocabulum femininum *Sygambria* in litteris antiquis universis nusquam occurrit praeterquam in fabulis quas tractamus III et II et apud Claudianum in Eutr. I 383, cum inter Graecos potius ἡ Συγαμβρίς semel apud Cassium Dionem legatur. Valuit fortasse aliquid etiam hac in re Claudiani poetae, quem tum fere totus orbis manibus ver-

<sup>1</sup> *Arnoaldus manans a stirpe Sycambra* Poet. aevi Carol. I p. 61 v. 45; cf. Gregor. Turon. II 31.

<sup>2</sup> Nil valet quod contrarium verum esse asseverat Felix Dahn in *Koenige der Germanen* t. VII (a. 1894) p. 20, contentus sola Claudiani poetae testificatione, qui nimirum ubi barbaros victos esse iactat, amplificationi ita studet, ut nomina sine sensu cumulet et iuxta ponat Sygambros et Francos quasi non una haec natio esset. Multo rectius Muellenhoffius l. l. iudicaverat, in eo tamen nimius, quod iam apud Martialem et Iuvenalem nomen hoc pro Germanis nescio quibus poetica licentia positum esse contendit.

<sup>3</sup> Συγάμβρους αὐτοὺς Ἴταλοι, οἱ δὲ Γαλάται Φράγκους καθ' ἡμᾶς ἐπιφρημίζουσιν.

<sup>4</sup> Iustum nimirum veriloquium Muellenhoffius fecit l. l.

sabat, memoria. Deinde Aethicus sic nomen interpretatus est ut scriberet: *Sichambriam barbarica sua lingua nuncupant, id est gladium et arcum*; in quibus verbis excutiendis iterum Claudianus nobis auxilium feret inexpectatissimum. „Barbarica“ i. e. Francica lingua Sicambriam „gladium et arcum“ significare neque scimus neque credimus<sup>1</sup>. Neque enim illos cultros validos „quos vulgo scramasaxos vocant“ ex Gregor. Tur. hist. IV 51 in comparationem vocare ausim. *Sicam* inesse visam esse in vocis principio diu intellectum est. Propterea quasi *latrones* et *praedones* Sicambros descripsit Aethicus (supra p. 509); *sicam* enim latronum propriam esse *sicariosque* latrones docet linguae Latinae consuetudo; ita enim glossaria antiqua: *sica*: . . . *hoc maxime utuntur qui apud italos latrocinia exercent*<sup>2</sup>; *sicari*: *latrones in media qualibet urbae*<sup>3</sup>; *sicarius* . . . *ληστής*<sup>4</sup>. ceterum *sicarius gladiator*<sup>5</sup>.

Deinde quo sensu Aethicus in altera nominis parte *arcum* latere significaverit, videamus. Certe de arcu sagittariorum vix cogitabimus; vix enim more Parthorum sagittarii fuerant Sygambri; Tacitus Germ. c. 6 inter tela Germanorum gladios, maiores lanceas, hastas sive frameas, denique missilia sparsa recenset, quas sagittas esse addubitaveris. Certe in proeliis vix usquam iis uti videmus Germanos<sup>6</sup>. Contra de Fennis Tacitus c. 46: *sola in sagittis spes*. Etiam Agathias II 5 negat inter Francos esse sagittarios. Accedit quod in voce *Sicambria* ad *arcum* nihil adsonat nisi forte litterae duae *a* et *r*; quomodo igitur in *Sicambria* arcus agnoscebatur? Itaque sicut Aethicus in explicatione nominis non ipsam *sicam* attulit sed *gladium* sicae supposuit, ita pro arcu quoque aliud vocabulum et aptius anquiramus. Suspicio cogitandum esse de *sica* et *καμπή*, quasi sit *Sicacambria*; *καμπή* enim curvaturam sive rem arcuatam valet, et conferenda maxime erunt *καμπύλα*

<sup>1</sup> Francum sive Franchonem ex *franca* derivari, quod missile parvum significet per deminutionem ex *framea* formatum, non nescius sum. Aethicus vero potius *sicam* et *arcum* inesse putavit, qua in re barbaricam linguam observasse non videtur; aptius de Saxone hoc contendisset, cui voci *saks* nomen subest, id est brevis gladiolus.

<sup>2</sup> Corp. gl. lat. V p. 611.

<sup>3</sup> *ibid.* V 332, 64.

<sup>4</sup> *ibid.* II 183, 32.

<sup>5</sup> e. g. V 332, 56; 389, 57; 482, 7.

<sup>6</sup> Praelongas hastas videmus Tac. ann. II 21; cf. Tac. hist. V 18; Ovid. ex Ponto III 4, 97. Apud Francos bipennis fuit quam franciscam appellabant: Gregor. Turon. hist. Franc. IV 10 et 11.

τόξα Homérica. Egregie huic subveniunt suspiciōni illi gladii Gallorum quos curvatos et uncōs memorat Diodorus V 30, 4: τὰ μὲν γὰρ ξίφη ἔλικοειδῆ δι' ὄλων ἀνάκλασιν ἔχει<sup>1</sup>. Nec minus apposite etiam glossam falsi Philoxeni iniciam qua ipsa *sica* sic graece redditur: *sica*: θρακικῶν ξίφος ἐπικαμπῆς<sup>2</sup>. Quibus pensitatis Aethici auctorem ad *sicam* ἐπικαμπῆ vel arcuatum gladium „Sicambros“ referre voluisse verisimile puto.

Quid vero Claudianus poeta? Ecce iubet ille ubi pacatum Rhenum esse gloriatur, et Salium iam rura colere et Sygambrum „flexos gladios in falcem curvare“, de cons. Stil. I 222:

Ut Salius<sup>3</sup> iam rura colat flexosque Sygambrus

In falcem curvet gladios.

Et primum hoc ipsum casu factum esse nego, quod poeta, sicut Aethicus, ubi Sygambrum memorat, etiam *gladium* ponit, qui scilicet gladius in Sygambri nomine certo inesse credebatur. Accedit quod *flexos* gladios dixit; hoc quod est *flexos* iuxta *curvet* nonne poeta docto et eleganti indignum videbitur? misere enim abundat atque superfluit. Itaque olim corruptum locum dicebam quia „flexos gladios curvare“ intolerabile esse sentiebam. Nunc vero postquam Aethico auctore Sygambrum ad exemplum Gallorum uncōs sive lunatos gladios gessisse didici, tandem quid *flexi* gladii sibi vellent percepi et ita Claudiani verba interpretor, ut Sygamber Rheno pacato gladios suos ‘falcatos’ sive *sicas* ἐπικαμπῆς etiam magis curvare, i. e. in falcem veram curvare iubeatur.

Quae cum ita sint, effectum est eam certe Aethici narrationis partem, qua nomen explicat, ad annum 400 quo Stilicho consul celebratus est sive ad Hieronymi ascendere aetatem.

Quare ad testificationes Aethici iam paullo confidentius provocare conceditur. Producimur autem etiam ad hanc conclusionem sustentandam: nempe non Francos solum, sed iam Sygambros Troianos fuisse creditum est; nam Aethicus si Sicambriam a Troianis conditam perhibet, quid tandem aliud subest? Scilicet

<sup>1</sup> Gladius Romanos minores fuisse quam Gallicos attestatur Cassius Dio 38, 49, 4. Ceterum *covinnum* illum cogitemus Belgarum.

<sup>2</sup> Corp. gloss. lat. II 183, 31.

<sup>3</sup> Ita, non *Suevus* legendum esse evici in ed. praef. p. CX; et cf. indicem. Itaque quod Claudianus hoc loco *Salios* cum *Sygambribus* artissime composuit, ad eos pertinet, qui Salios Francos ad Sygambros referebant.

huius Sichambriae cives fuerunt certe Sichambri; Sichambri ergo Troiani.

Iam vero glossam afferam et raram opinor et utilem, quam inter excerpta ex glossario 'abavus' maiore reperies propositam in corp. gloss. lat. t. V p. 631 n. 45; est autem haec:

Sycamber francus qui et teucus.

Quae glossa etiam in gloss. cod. Vatic n. 1471 sic abbreviata inventa est: *Sicamber: francus* (ibidem V 545, 45). Glossarium 'abavus' quod dicitur in codicibus extat saeculi VIII—IX. Glossas ipsas ex remotiore thesauro in codices demanasse constat. Ineunti saeculo VI vel Prisciani fere aetati hoc glossarium et Graeco quidem auctori adscripsit G. Loewe in Prodomo gl. p. 97. Insunt poeticae dictionis non pauca, insunt prisca, insunt plurima vulgaris sermonis vocabula.

Nomina ex geographia ac mythographia deprompta non ita spissa in istis serae latinitatis thesauris deprehendimus. Cum glossa hac quae est de Sygambro apte contendere possit quod e. g. in codicis Cassinensis glossario legimus *Senilis: urbs Siciliae* (sic) et *Secas: proprium nomen* (Corp. gl. V 578, 56 et 47); *Sperchius: amnis est* (V 579, 4); *Pennus: nomen fluminis thesalice* (V 575, 16); *Peucis: nomen insulae* (ibid. 22); magis etiam: *Roma iunior: constantinopolis dicitur* (V 578, 2); *Patara: civitas liciae* (574, 41); *Sicania: sicilia a sicano rege dicta* (V 557, 51); item in cod. Cassin.: *Rome conditor: certus nescitur; salustius dicit initio troiani eam condidit; uergilius abebandro; ennius et alii a romulo* (V 578, 3); porro in glossis ab 'absens' *Iliades mulieres troianae et Ilium civitas Troiae* (IV 412, 44 f.); in ipso gloss. abavus maiore: *Bistonia tracia* (IV 593, 7), quin etiam *Bistimiae troiae* (ibid. 11); quocum conferantur glossae Scaligeri: *Bestimiae: troiae* (V 592, 58) et *Besonties tiraces* (ibid. 67).

Denique aptissime adportabimus glossam sat frequentem quae audit *Getae: Goti* vel *Geta: Gottus*; vide e. g. IV 604, 25; IV 82, 35 sq.; V 600, 42 sq. Sic nempe etiam *Sygamber Francus*; *Geta* enim et *Sygamber* inusitatiora et magis poetica nomina; *Gottus* et *Francus* detrita et trivialia.

Quibus praemissis iam ad expendenda verba

Sygamber: Francus qui et Teucus

accedere licebit. Habes Teucrum Francum eundemque Sygambrium. Certum est hoc loco non solum Francum, sed etiam Sygambrium et hunc quidem potissimum Teucrum esse nominatum;

nam hic lemmatis locum tenet; ad hunc igitur et priorem et alteram interpretationem referemus. Idem aliorum locorum comparatio persuadeat: velut in glossis codicis Sangallensis n. 912 scriptum est (IV 241, 30):

Gete: gothi; et traces

ubi primo obtutu apparet non Gothos Thraces fuisse dici, sed Getas. Poterat igitur etiam scribi: *Getae gothi qui et traces*. Simile V 582, 29: *Vasterna: genus currus; et est gens*. Ipsam voculam *qui* adiectam videbis in glossa Scaligeri V 601, 33 quae audit:

Haustrum: rota hauritorium qui et girgillus.

ibidem 596, 42:

Caldicum: foris deambulatorium quod et petibulum dicitur; plenius gloss. Vatic. Reg. Christ. V 583, 10:

Baen: ornamentum colli est ex auro et gemmis pretiosissimum quod alio nomine torques potest dici<sup>1</sup>.

Quodsi stabit haec interpretatio sique iam Sygambrum Teucrum fuisse tradebant, percipitur unde factum sit quod in fabula, quam Aethicus servavit, Sicambriam condere feruntur Troiani.

Ne vero Haganum heroem de Tronje omittamus. Qui glossae illius tanquam vivum exemplum est et ita praeclare ei convenit ut nil iucundius adferri possit. Etenim in saeculi decimi de Gualtario poesi magnus Haganon 'Francus' quidem compluribus locis vocatur, idem vero 'Sicamber' (*Iusce Sicamber* v. 1455), idem denique etiam 'veniens de germine Troiae' (v. 50). Habes igitur simul et Francum et Sygambrum et Troianum sive Teucrum Haganonem.

Sed etiam aliud in glossa est quod admireris; quod enim in ea Sygamber (sive Francus) non Troianus, sed *Teucus* dictus est, omnino contra expectationem factum puto. Numquam enim isto aevo, ni fallor, nisi forte poetico sermone Teucrum legimus, semper ubique Troianum<sup>2</sup>; ita fabulae tres a quibus sermo hic orsus est, ita Aethicus omnino et totus Dictys et Dares totus, idque solum in nationum recentiorum linguas migravit apud Benedictum Mauranum et Konradum, id solum in Eddae carmina et Saxonem grammaticum, ubi semper *Troia*, *Troiani*, numquam *Teucrici*. Nos vero Turcorum barbarae gentis apposite reminiscamur.

<sup>1</sup> In duplici nomine adferendo *qui et* frequentissimum apud antiquos in inscriptionibus; vide G. Wilmansium exempl. inscr. t. II p. 406.

<sup>2</sup> Praeter glossaria ubi *Teucricia* V 157, 22; cf. 132, 46.

Nam unde factum esse dixeris, quod Fredegarius non solum Francos et Macedones, sed etiam Turcos ex Troianis provenire accepit? Certe nemo ex *Troianorum* appellatione *Turcorum* nomen derivare poterat; poterant ex nomine *Teucrorum*, apparetque ipsa similitudine vocum Τεύκρος et Τοῦρκος in hanc Turcicae gentis originationem pellectos esse fabulatores<sup>1</sup>. Quid? quod in Snorra Edda ut Thor deus cum Hectore, Lokius cum Ulixē, ita etiam Teucricum cum Turcis (*Tyrkir*) aequantur (ed. Hafniensis tom. I p. 206). Scripserat igitur olim aliquis non solum Macedones et Francos, sed etiam Turcos esse *Teucros*; quod tamen Fredegarius neglexit primariamque inventionem obscuravit suppositumque fabulosum quendam *Torcoth* sive potius *Torquutum*<sup>2</sup> (i. e. Torquatum!) inter Troianos regem electum, ex quo nomen gens Turcorum accepisset. Denique hac quoque ratiocinatione eo compellimur ut fabulae de Troica origine formam aliquam Fredegario antiquiorem extitisse statuamus.

Turci autem labentibus saeculis etiam Teucrorum ultores verosque Teucros se praestitere; nam sicut Graeci olim Troiam ceperant, ita Turci postmodo Graecorum caput Constantinopolim.

Cur autem Troiani videri volebant Franci? cur Sygambri? cur non proavum sibi Graecum sive heroem sive deum praetulere? Aliter certe ii, qui et Herculem apud Germanos fuisse memorabant et ab Ulixē, quem ad Rhenum error ille fabulosus detulit, Asciburgium esse constitutum et aram adeo ibi inventam esse Ulixi consecratam (Tacit. Germ. 3).

Quaestionem solvet qui ad Gallorum consuetudinem attenderit; valet enim de Gallis idem quod de Francis Sygambisque; sanguinem Troianum et ipsi iactaverant. Cuius rei testimonia docte congegessit Roth l. 1. Nos vero ad Properti locum desperatum a quo profecta est oratio recte iudicandum hac tandem via deveniemus.

Et Sygambrorum quidem pars iam ab Octaviano Augusto in Gallias traiecta est et collocata 'in proximis Rheno agris' (Tacit. ann. XII 39; Suet. Aug. 21; Aurel. Victor epit. I 7). Anno vero 310 p. Chr. iam 'intimas Franciae nationes ab ultimis

<sup>1</sup> In Italia hanc Turcici nominis interpretationem saeculo VI factam esse statuit W. Wilmanns p. 117; cur minus apud ipsos Byzantinos? His enim Francos ἔξ ἡγεμόνος, i. e. ex *Franco* appellatos esse certe notum fuit (v. supra).

<sup>2</sup> Cf. Krusch l. 1. Wilmannsius contra p. 114 sq. *Torcoth* nomen prius fuisse, inde Torquutum per errorem factum esse sustinet.

barbariae sedibus avulsas in desertis Galliae regionibus collocatas<sup>7</sup> esse audimus (Panegy. VII dictus Constantino c. 6); scilicet terra tum nominatim Gallicana fuit, arationem vero et agriculturam barbari sive Franci fere totam usurpaverant (Liban. εἰς Ἰουλιανὸν αὐτοκρ. p. 379 R.). Qui ut identidem expulsi sunt, ita usque revenerunt. Igitur num mirum dixeris, si illis saeculis barbarorum dominantium ingenium consuetudini se accommodavit Gallorum qui omnibus tunc artibus et eruditione florebant? Sic victa Graecia sibi victores Romanos subiugavit. Eaque Gallorum et Germanorum semper fuit cognatio, ea consanguinitas, ut hi illis facile multa concederent propensique esse deberent ad originem non diversam, sed consimilem sibi arrogandam.

Talia in rebus divinis accidisse constat; nam Caesar Germanos affirmat deos fere non duxisse nisi eos quos cernerent velut Solem (VI 21, 2), contra de Gallis Caesar: *deum maxime Mercurium colunt* (VI 17, 1); at vero Traiani aevo idem deus Mercurius a Germanis receptus est ita, ut Tacitus Germ. 9 Caesaris verba cum exscriberet, in ipsos Germanos transferret haec: *deorum maxime Mercurium colunt*. Item Tacitus l. l. Germanos narrat 'litare Mercurio humanis hostibus'; prorsus idem de Gallis accepit Minucius Felix 30, 4: *Mercurio Gallis (ritus fuit) humanas aut inhumanas victimas caedere*, quae Minucii verba moneo cum Taciti verbis magis conspirare quam cum Caesaris expositione VI 16; hic enim Mercurii nomen praetermisit; ceterum Caesar et Minucius ea de Gallis tradunt quae Tacitus de Germanis. Atque eiusmodi etiam plura addi possint velut de Germanis Tacitus c. 11 *nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant*, idem Caesar IV 18 de Gallis; qualia conguessit Antonius Lueckenbach<sup>1</sup>. Denique Apollinis 'medici' religionem a Gallis ad Germanos profugisse testis est Marius Victor Aleth. III 207 sq.<sup>2</sup>

Iam vero de Gallis testimonia pauca quidem sunt quae proferam, sed sufficientia. Exordiamur autem ab ipsius Aethici relatione supra apposita.

Apud Fredegarium solus Priamus Troia relicta primus auctor atque rex Francorum fuisse perhibetur; quod qui commenti sunt, inanem nominum similitudinem captarunt: nam *Priamus* fere idem sonat quod *primus*; propterea 'narrat historia (Francos)

<sup>1</sup> De Germaniae Taciteae fontibus, Marpurgi a. 1891 p. 23 sqq.

<sup>2</sup> Ad hunc locum me misit Ed. Schroederi collegae doctrina pervigil.

*Priamum primum* habuisse regem'. In Gestis Francorum eo pro-  
 vecti sunt ineptiarum, ut duos heroes et Priamum et Antenorem  
 primo fuisse narrarent; an etiã 'Antenor' tamquam homo 'ante-  
 rior' videbatur? ceterum de hoc Patavii conditore nihil in Gestis  
 scriptum est nisi eius filium fuisse Sunnonem. Multo exquisitoria  
 Aethicus accepit. Qui de Priamo apud illos stupide illato nihil, nihil  
 etiam videlicet de Antenore; sed Troianos duos, ex regia prosapia  
 qui remanserant, proponit semper coniunctos *Francum* et *Vassum*  
 (Aeth. ed. Wuttke p. 77): Nempe Francus et Vassus cum Ro-  
 molo dimicant, Francus et Vassus foedus apud Albanos patra-  
 verant; cum Franco et Vasso denuo a Romulo pugnatur. Francus  
 et Vassus per fugam lapsi evadunt. Francus et Vassus videntes  
 se superatos Raetiam penetrant, Sichambriam urbem construunt.  
 De ipsa vero Francorum natione nihil accepit Aethicus, pergit  
 ibi Romuli facinora plurima narrare, Francum et Vassum non  
 novit nisi esse Troianos.

Summi pretii esse servatam Vassi memoriam supra dixi.  
 De quo cum docte nuper ageret Mowat<sup>1</sup>, quia ad Aethici verba  
 non attendit, rem non expediisse videtur. Certe Vassi nomen minime  
 fictum est neque ab Aethico primo prolatum, sed quamvis tenebris  
 offusum, antiquum tamen et venerabile. Nam ad deum indigenam  
 relatum videmus in titulo votivo antiquo Bittburgiensi (apud  
 Treveros) ubi consecratum est *Mercurio Vasso Celeti* (Brambach.  
 inscr. Rhen. 835); nisi quod inter *Vasso* et *Celeti* punctum non  
 est in lapide potestque iunctim legi *Vassoceleti*; ceterum de lec-  
 tione satis constat<sup>2</sup>.

Neque vero hic Vassus vel Mercurius Vassus Germanorum  
 deus fuerat, sed Gallicanus Arvernorum. Nam haec quae sequuntur  
 Gregorius Turon. hist. Franc. I 32 de temporibus Valeriani et  
 Gallieni tradidit: *Chrocus quidam Alamannorum rex . . Gallias*  
*pervagavit . . . Veniens vero Arvernus (i. e. ad Arvernos) de-*  
*lubrum illud quod Gallica lingua Vassogalate (sive Vasso Galatae)*  
*vocant, incendit . . . Cuius paries duplex erat, ab intus enim*

<sup>1</sup> Mowat Revue archéol. a. 1875 p. 350. W. Wilmanns p. 126:  
 'Francus und Vassus bezeichnen, wie die Namen deutlich erkennen  
 lassen, die Theilung der Macht zwischen den Königen und ihren Va-  
 sallen.' Cui tamen sententiae obstat quod Aethicus ambos pari modo  
 ex regio sanguine deducit et pares etiam exhibentur in hist. Daretis  
 Frigii de or. Francorum (v Romania III p. 138 sq.) ubi haec: *Frigio*  
*genuit Francum et Vassum elegantissimos pueros atque efficaces, dicun-*  
*turque 'germani'.*

<sup>2</sup> Cf. Mowat l. l.

*de minuto lapide, a foris vero quadris sculptis fabricatum fuit; habuit enim paries ille crassitudinem pedes triginta. Intrinsicus vero marmore ac museo variatum erat; pavimentum quoque aedes marmore stratum.*

Delubrum hoc apud Arvernos 'Vasso Galate' vocatum satis clarum fuisse videatur et splendidum, neque tamen antiquum, sed recens factum; certe enim quod intrinsicus variatum esse dicitur marmore ac museo, marmor demum inde ab Augusti aevo adhiberi solitum, musivum autem ibi memoratum si forte non solum parietarium fuerit, sed etiam de cameris incrustatis sit cogitandum, non multum ante Plinii aetatem aedem structam esse arguat. Ceterum hanc aedem secure Mercurio adscribimus. Saepe numero enim 'Mercurio Arverno' dicatur in titulis; Plinii aetate 'in civitate Galliae Arvernensis' statuam Mercurii colosseam et omnem amplitudinem statuarum vincentem perfecit Zenodorus (Plin. n. hist. 34, 45), quam facile ad Vasso Galate delubrum retuleris<sup>1</sup>.

Dubium hoc, quid significet illud ipsum *Vassogalate*. Et persaepe apud Gallos idem nomen simul et loci et personae (sive dei) fuisse satis constat<sup>2</sup>; Vassum vero primitus non locum<sup>3</sup>, sed

<sup>1</sup> Fuit hic Mercurius sedentarius; cf. e. g. Revue arch. 3. ser. IV (1884) p. 299 sq. et 1883 II p. 367 sq.

<sup>2</sup> V. e. g. de Vesunna et dea et urbe Hirschfeld in Westdeutsch. Ztschr. VIII p. 136 not. 46; Mowat in Revue arch. 40 p. 47 sq.

<sup>3</sup> Du Cange s. v. *Vasso* de Vassogalate haec: esse ibi etiam nunc locum qui 'le Vas saint Artem' audiat, i. e. templum S. Artemii; item apud Delphinates in pago S. Gisleni locum esse qui 'le champ du Vas' dicatur. Haec tamen sic explicari possunt ut a Vasso homine sive deo in locum transmigrasse nomen putemus. Certe *vassus* (in Gwallica lingua *gwas* vel *goas*) hominem, non locum notabat; cf. Owen Pughe, Dict. of the Welsh language (a. 1832) II p. 155: '*Gwas* a youth, a lad, a young man, a page, a servant; *Gwas gwyh*: a hero'; nam *gwyh* fortitudinem significat; etiam '*Gwasan*: a youth, a page. *Gwasath*: service'; et cf. Zeussii gramm. Celticae ed. II p. 120. Et famuli significatus receptus est in sermonem medii aevi, quo ministrum *vassum*, *vassalum*, etiam *vassam*, *vassalam*, *vassaulum*, *vassorem* vocabant fueruntque ipsorum regum ministri nobilissimi 'vassi regales' sive 'vassi dominici', cum drudis coniuncti in capitulo Caroli Calvi (v. Du Cange); haec in vita Ludovici Pii legimus (Pertz Mon. Germ. II p. 608): *ordinavit per totam Aquitaniam comites . . . nec non alios plurimos quos vassos volgo vocant ex gente Francorum*. Itaque *vassus* nomen personale primitus Gallicum fuerat, deinde a Francis usurpatum et Francicum factum est. Hinc est quod Francum et Vassum quasi fratres con-

personam indicasse suadet Aethicus; dativum casum et forma ipsa commendat et tituli modo adscripti comparatio. Itaque dedicatum templum fuisse 'Mercurio Vasso Galatae', inde vero 'Vasso Galate' nomen delubro postea inhaesisse crediderim; id ipsum probat titulus ille sic conceptus: 'Mercurio Vasso Celeti' vel 'Vasso-celeti'. In quo illud *Celeti* ad graecum κέλης non revocabis, magis ad *Celatus* quod cognomen Gallicum in titulis apparuit (CIL. XII 2565; 4502; III 3164; 5417); ceterum ipsum *Celēti* pro *Celti* scriptum esse suspicio est; nam forma *Celtes* sive *Celtis*, (nom.) vereor ne subsit Ammiani Marcellini verbis his 15, 9, 2: Aborigines in Gallia *Celtis nomine regis amabilis et matris eius vocabulo Galatas dictos*, in quibus *Celtis* dativus esse vix potest; id enim exponit scriptor unde gentis nomen traxerint aborigines Galliarum; sunt autem et Celtae dicti et Galatae; et Galatae quidem 'ex matris regis vocabulo'; ergo Celtas ex ipsius regis nomine appellatos esse expectamus; et notus est Κελτός Herculis filius Celtarum nominis auctor<sup>1</sup>; apud Ammianum vero potest accipi *Celtis* pro genetivo ut ipsum nomen regis amabilis agnoscatur, potest esse accusativus pluralis pro *Celtas*; certe emergere videtur *Celtes* sive *Celtis* rex reconditus cum matre Galata<sup>2</sup>. Idem nomen in lapide. Ea igitur inconstantia fuit sermonis, ut Mercurium modo Vassum Celtem modo Vassum Galatam praedicarent.

Ceterum in Vassi nomine pensitando etiam *Vasatum* gentis

iunctos videmus apud Aethicum, sed ita, ut Vassum semper altero loco poneret; nempe Gallus ipse sive 'Vassus' servus Franci sive Franci vassalus factus erat. Necessario tamen sumimus olim honestiorem fuisse et superbiorem apud Gallos *vassi* notionem; aliter non dedicatum esset *Mercurio Vasso*; cf. quod supra posui 'a youth, a lad, a young man'. Inde explicantur nomina *Vassoria*, *Vasiones* et alia eius generis. Itaque natio potius et origo genuine Celtica hac voce exprimebatur; quae tamen, ubi Franci regnare coeperunt, cum respectu pronuntiabatur et in humilem sensum abibat; ita *knecht*, olim eques, nunc vero servus dictus est.

<sup>1</sup> Ita Parthenius erot. cp. 30: ubi Britannii filia est Celtine, quam compressit Hercules, filius natus est Celtus; similia Etymol. Magn. p. 502, 46; Dion. Halic. antiqu. XIV 1.

<sup>2</sup> A. Holder in Alt-celtischer Sprachschatz fasc. IV p. 951 adfert locum Ammiani, interpretationem non adiecit. Extat vero vox *celtis*, i. e. scalprum, quam ipsam origine Celticam esse facile conicias (ita etiam Skutsch in Bezenbergeri Beitrage XXII p. 126). Ceterum duplex nominis forma etiam in Gallico deo *Tanarus* et *Taranis* conspicitur (cf. A. Michaelis in Jahrbuch f. lothring. Geschichte VII (1895) S. 159 ff.).

Aquitanae recordemur; nec non et *Vasionem* Vocontiorum civitatem adferam, quam Plinius tetigit, sive civitatem *Vasiensium* memoratam in Notitia Dignitatum<sup>1</sup>; unde in ipsa illa Galliae Narbonensis regione *Marti et Vasioni* dedicatum invenimus (CIL. XII 1301). Porro *Bellovesus* et *Segovesus* antiquissima nomina Celtica (Livius V 34); nomina propria etiam *Dagovassus*, *Vassoria*; in titulo sepulchrali quinti saeculi scriptum: *hic requiescit . . . Vassio* (Le Blant inscr. chrét. de la Gaule n. 72); ceterum gentilicia novimus *Vassius*, *Vassetius*, *Vassilius* et oppidum *Vassiacus*, hodie Vassy<sup>2</sup>; item *Vassillus* villa fuit saeculo IX, hoc saeculo Vassel nuncupata<sup>3</sup>.

Consecrarium est ut ille quoque Vassus, quem scripsit Aethicus, Gallus sit et Arvernus et olim ἡγεμὼν visus sit Gallici nominis; nec sine apto consilio ab huius fabulae auctore Francum et Vassum Troianos coniunctos esse dicemus, sed altero nomine Francorum, altero Gallorum nationem plane designari. Ergo etiam de Arvernorum Troiana origine nuntius extiterat; eum nuntium imitati sunt Franci. Utramque fabulam conflata videmus apud Aethicum.

Quam tandem conclusionem ecce Lucanus poeta ita confirmat atque corroborat ut omnis omnino eximatur dubitatio; qui I 427 sq. Leucos Suessones, Sequanos, Belgas aliasque nationes Gallicanas enumerans ad Arvernorum memoriam his verbis accedit:

Arvernique ausi Latio se fingere fratres  
Sanguine ab Iliaco populi.

Itaque iam regnante Nerone Arverni Iliacam originem affectaverant; mox Plinii aetate Mercurius ille colosseus apud eosdem Arvernos factus, ipsum delubrum 'Vasso Galatae' magnis sumptibus ornatum est. Cogimur igitur in hanc sententiam: Arverni Troianos se haberi volebant; apud eosdem Vassi divinum nomen inclârui; Aethicus autem eundem Vassum Troianae stirpis ducem cum Franco in occidentem facit migrare; ergo antiquo et genuino fonti fabulam suam debet Aethicus; quae quidem eo saeculo inventa esse dicenda est, quo Franci et Galli gens una videri et unius stirpis propago haberi voluerint. Id aptum esse crediderim saeculo quarto.

Quodsi Francos olim in Pannoniis consedissee multi trade-

<sup>1</sup> Cf. CIL. XII p. 160 sq.

<sup>2</sup> Cf. d'Arbois de Jubainville Recherches sur la propr. foncière en France (1890) p. 333.

<sup>3</sup> Ibidem p. 503.

bant (v. supra p. 509), an hoc quoque a Gallis in Francos, a Vasso in Francum translatum est? De Gallis enim Iustinus 24, 4: portionem eorum olim per strages barbarorum Illyricos sinus penetrasse et in Pannonia consedissee; unde 'divisis agminibus' alios Graeciam, alios Macedoniam petiisse.

In delubro autem Mercurii Vassi Galatae, de quo rettulit Gregorius, picturas musivicas conspicuas fuisse vidisti; hominum depictas esse figuras facile suspiceris; quid igitur? nonne Vassi historia descripta esse debuit? quod tamen fieri non potuit sine Graecae artis imitatione. Itaque etiam hac in re Graecae sive Troicae fabulae aliquid subodoramur.

Huiusmodi fabulationes qualem de Vasso Troiano audivimus in deliciis fuisse Gallorum altero exemplo ostendam. De Luguduno tradebant Momorum quendam et Atepomarum fuisse, qui corvorum augurio obsequentes in huius urbis loco primum sibi domicilium constituerent<sup>1</sup>; namque 'augurandi studio Galli praeter ceteros callent' qui iidem etiam in Pannoniam 'ducibus avibus' penetrasse ferebantur (Iustinus l. l.). Mirum autem quod qui Luguduni natus est, *Marci municeps* vocatur apud Senecam in Apotheosi c. VI. Ubi agnoscitur illa vox *Marco*, quae non solum in Gallico *Marcomagum*, sed etiam inter Germanos in *Marcomanorum* nomine comparet<sup>2</sup>.

Ceterum Vassi et Franci coniuncta fata etiam apud posteriores clara habita sunt. Ex Aethico rem assumpsit sibi auctor Originis Francorum (quae in libro scripto saec. XII servata, prelo data est in Musei Rhenani iurisprud. antiquioris vol. I p. 162 sq.) ita tamen ut ampliaret, Frigios duos statuens et maiorem et iuniorem, iuniorem Frigium per sex generationes a Priamo sive a Priami cognata deducens, huius Frigii filios fuisse dicens Francum et Bassum, Sicambriam urbem ex Sicambre Franci filio nomen accepisse. Simile est, quod in historia Daretis Frigii de orig. Francorum, quae Fredegarii codicibus nonnullis interpolata est (v. Romania III p. 138 sqq.), Pherecides genuisse fertur 'alium' Frigionem belligerorem, qui annos sexaginta tres principatum gentis suae rexit; qui *Frigio genuit Francum et Vassum elegan-*

<sup>1</sup> Cf. J. Jung Die roman. Landschaften des röm. Reichs p. 219. De corvo Lugudunensi v. etiam Fröhner Les Mus. de France tab. 15 p. 59 sqq.; de Witte in Gaz. arch. IX p. 257 sqq.

<sup>2</sup> Cf. quae dixi De Senecae apocolocyntosi, *Marpurgi* a. 1888 p. XIV.

*tissimos pueros atque efficaces. Defuncto igitur Frigione iuniorē . . . itidem germani tyrannidem mutuo arripiunt*<sup>1</sup>.

Interim 'vassus' illo aevo apud Francos in notionem famuli, 'vassus dominicus' in comitis sive ministri regii significatum transierat; de quo supra verba feci p. 521 in adnotatione. Unde etiam heroicum carmen illius aevi accepit; memorabile puto quod in poesi de Gualtario Hagano heros et Francus identidem et gemine Troianus fuisse fertur v. 50 et Sicamber v. 1455, idem vero etiam vassus in v. 1331:

Innuit ergo oculis Vassum praecedere suadens.

Ubi sane intellegere debemus vassallum sive administrum.

Sed enim de origine Troiana documenta nondum exhausimus; audivimus Aethicum, audivimus Lucanum: reliqua quae praesto sunt in exitu componere officium est.

Ex Timagene qui aevo Augusti de Galliae situ ac moribus scripserat, et alia et haec 'super origine Gallorum' assumpsit Ammianus Marcellinus XV 9: aut Aborigines fuisse primumque regem Celtam sive Celtim cum Galata uxore — aut Herculem huc venisse, coisse cum generosis feminis, liberos suscepisse — aut 'quosdam post exodium Troiae fugitantes Graecos ubique dispersos loca haec occupasse tunc vacua'; ubi verbis *quosdam fugitantes Troianos* notari veri simile est<sup>2</sup>. Itaque Timagenis aetate 'quidam' certe 'aiebant' Gallorum originem ad Troiam redire.

Quam opinionem magis etiam de Aëduis quam de Arvernīs obtinuisse testes adfirmant. Id enim Iulius Caesar de bello Gallico I 33, 2 paucis admodum verbis sic prodidit: *Aeduos fratres consanguineosque saepenumero a senatu appellatos*, quod ex Caesare sic transtulit Strabo p. 192: οἱ δὲ Αἰδοῦοι καὶ συγγενεῖς 'Ρωμαίων ὀνομάζονται<sup>3</sup>; neque aliter Diodorus V 25: πρὸς 'Ρωμαίους ἔχοντες συγγένειαν παλαιάν. Pertinent vero verba Cae-

<sup>1</sup> His seris narrationibus quod aliquam auctoritatem et maiorem quam Aethico tribuere videtur W. Wilmanns l. l. p. 127 sqq. non possum probare.

<sup>2</sup> *Fugitantes* voci *Graecos* ne pro attributo appositum esse statuas; immo *Graecos* obiectum est vocis *fugitantes*; primum enim *fugitare* transitivum esse verbum consuevit; deinde post Troiae casum Graeci non fugitarunt, sed cum praeda reditum pararunt; denique si 'quosdam Graecos ubique dispersos' coniungeres, sensus evaderet ineptus; 'quidam' enim Graeci non 'ubique' dispergi poterant.

<sup>3</sup> Cf. H. Wilkens quaest. de Strabonis . . . fontibus, Marpurgi 1886 p. 12.

saris ad annum 58 a. Chr. Hinc est quod Cicero ipse quoque iam anno 60 non sine risu *Aeduos fratres nostros* vocavit ad Att. I 19, 2. Postea Tacitus ann. XI 23 de Aeduis: *soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant*. Denique saeculo quarto in paneg. dicto Constantino (VIII) c. 4 memoratur *fraternitas Aeduorum* proptereaue eorum civitas tunc iacens erecta dicitur, *ut esset . . . provinciarum velut una mater, quae reliquas urbes quodammodo Romanas prima fecisset*; item paneg. V c. 21 de civitate Aeduorum: *nunc sibi redditum illud Romanae fraternitatis nomen existimat*: Idemque in panegyricis tangi videmus VIII c. 2 et c. 3 ubi etiam Ilienses in comparisonem vocantur, qui 'origine fabulosa se imputaverint'.

Et ex Caesaris quidem verbis et reliquorum non nisi hoc effici videtur: Romanos fuisse qui Aeduos fratres appellarent. Hanc fraternitatem etiam ipsos Aeduos sibi vindicasse solus Plutarchus testis est in vita Caesaris; dicit enim de iis c. 26: οἱ τὸν ἄλλον χρόνον ἀδελφούς ἀναγορεύοντες ἑαυτοὺς Ῥωμαίων καὶ τιμώμενοι διαπρεπῶς κτλ.

Iam vero primum 'consanguineos' appellatos esse a senatu Caesar memoriae tradidit; quod vocabulum ad veram sanguinis communionem sive ad originem Troianam cum magna specie veri rettulit Roth l. l. p. 51. Eodem facile ducit altera vox *fratres*; nam hac in re iudicanda ad proximum Arvernorum exemplum respiciamus necesse est. Arvernos autem Lucanus dicit cum se Romanorum 'fratres' fingere auderent, 'ab Iliaco sanguine' se descendere iactavisse (supra p. 523); ergo fraternitas haec apud Gallos ad Iliacam originem pertinebat. Neque dubito quin ipsum Aeduorum exemplum tantum valuerit, ut simile sibi arrogarent Arverni; at vero 'solos' Aeduos fratres agnovit senatus (vide Taciti verba); Arverni quod per aemulationem idem praetendere 'ausi' sunt, frustra fuerunt.

Homines Gallici provinciales ad civitatem Romanam mox admitti coepti sunt; qua quidem primum viritim donabantur. Inter cives hos Romanos nationis Gallicae observatum est plurimos nomen assumpsisse Iuliorum et Claudiorum<sup>1</sup>; quod in honorem imperatorum factum esse non infitior, faciliorem tamen explicatum habet, si simul Iulios per Ascanium ab Aenea profectos esse meminimus; sunt igitur omnes Iulii Troiani. Vides quam apte

<sup>1</sup> Vide Aem. Huebner Herm. X p. 396 et 404: nomen Iulium et Claudium in Taciti annalium libris I et II satis rarum, frequentius esse in III et IV, spissum vero in historiis.

Gallici optimates Iulii potissimum vocari gestiverint; cum nomine Iulio sparsa est per Gallias Troiana origo<sup>1</sup>.

Aeduos vero etiam 'saepenumero' consanguineos appellatos esse Caesar l. l. auctor est; itaque iam ante a. 58 a. Chr. n. et inter Aeduos Romanorum origo Troiana et apud Romanos origo Troiana Aeduorum innotuerat; quin etiam si 'senatus' illis annis frequentius hac appellatione usus erat, in ipsa urbe de Gallis Troianis fama tum sine dubio percrebuit et satis innotuit omnibus. Necessae est autem praesumpserint Aedui aliquem Aeneae socium sive Antenorem sive alium nescio quem Troia deleta in Gallias devenisse, Aeduorum civitatem condidisse.

Unde ad Propertium nostrum post longam tandem circuitiōnem reducimur. Qui viginti fere annis post de Nestore supervivente hoc distichon scripsit, a quo profecta est haec disceptatio:

Cui si longaevae minuisset fata senectae

Gallicus Iliacis miles in aggeribus eqs.

Elucet tandem estque perspicuum quid his verbis sibi voluerit Propertius; ipse poeta de Gallis Troianis gravissimum testimonium facit divulgatamque illis annis apud Romanos de iis famam fuisse plane demonstrat. Neque iam quemquam fore spero qui tangere verba lectissima audeat; quae scilicet si emendare voles, mendum ipse demum inferes. Immo quia Galli ex Ilio oriundi, Gallicus iam ille miles fuerat qui contra Graecos in aggeribus Iliacis pugnavit. Quod ut putide elegis poeta inseruit, quos de morte ad puellam scripsit, ita tamen iam veram lectionem esse apparuit, neque aliena talis memoria a doctiore ingenio Properti; qui in libro postremo Romae urbis sacra diesque descripsit originesque plurimas remotas abditas venatus est neque minus putide *Teucrium Quirinum* apposuit IV 6, 21 ubi Romulum interpretamur. Eidem Propertio etiam hoc notum fuisse premo, Virdomarum Belgarum ducem quem anno 222 a. Chr. n. vicit M. Claudius Marcellus, ab ipso Rheno olim genus duxisse; sic enim ille cecinit IV 10, 39 sqq.:

Claudius a Rheno traiectos arcuit hostes,

Belgica cui vasti parma relata ducis

Virdomari. Genus hic Rheno iactabat ab ipso.

Spolia autem de Virdomaro reportata in Iovis Feretrii templo

<sup>1</sup> In Corporis inscr. lat. indice tomi XII nomen *Iulius* columnas complevit octo, cognomen *Iullus*, quo ad Ascanium plane respicitur, noviens occurrit.

asservabantur. Itaque Rhenum personatum deum a Belgis vel certe semideum creditum esse statuit Propertius; quod ne licentius eum fecisse aias<sup>1</sup>, etiam Gothi Histrum flumen deum suspiciebant et per numen eius iurabant teste Claudiano De bello Poll. 81; hic nempe ipse Alaricus 'numen patrii Histri iurare' fertur; consentitque Agathias I 7 et arbores et fluvios ab Alamannis sacros habitos esse testificatus.

Facit autem momentum ad Properti verba de Troiae milite Gallico illustranda etiam hic locus Quinti Smyrnaei quem usque ad postremum retinui. Nam in Posthomericeis ille VII 611 inter facinora Neoptolemi Troiam opprimentis hoc principale celebrat: interfectos ab eo esse Megetis Troiani divitis filios duos geminos Κέλτον τε καὶ Εὔβιον. Tenemus Celtum virum Troianum, Troianum etiam Ubium<sup>2</sup>, deprehendimus Celtum et Ubium et fratres et alti Ilii defensores:

εἰδότας εὖ μὲν ἄκοντα βαλεῖν, εὖ δ' ἵππον ἐλάσσαι  
ἐν πολέμῳ καὶ μακρὸν ἐπισταμένως δόρυ πῆλαι.

Penetravit igitur etiam ad Graecos orientis poetas quarti p. Chr. n. saeculi de Gallo Troiano fabulatio. Et patrem quidem Celti et Ubii Quintus nominat Megetem, Megetis vero patrem Dymantem (v. 607); Dymas autem rex notus fuerat Phrygiae, socer Priami, Hecubae pater; sic Celtus et Ubius germani et gemini fratres a 'Frigio' sanguine et a 'regio' quidem — ut Vassus et Francus — descenderant! Quos qui primus invenit, occisos esse a Neoptolemo sine dubio non narrabat, sed post Troiae excidium ex Asia fugitivos ad Rhenum et Rhodanum demigrasse. Denique haec non post Taciti aetatem inventa esse suspicamur; postea enim Ubiorum nomen ex historiarum memoriis evanuit.

Nonnulli vero ex Neoptolemo potius et Achille *Eubium* quendam ortum esse tradebant; de quo fides est apud Iulium Valerium in ortu Alexandri Magni p. 57, 29 ed. Kuebleri; quod licet ab hac disputatione alienum dicas, tamen propter ipsam nominis formam nolui non adicere; etenim apud Valerium in optima Taurinensi membrana saeculo VII rescripta teste Kueblero non *Eubius* exaratum est, sed *Ubius*.

Marpurgi Chatt.

Th. Birt.

<sup>1</sup> Brenno pro Rheno habuit Passeratii liber; idemque otiosa coniectura amplexus est Iacob.

<sup>2</sup> Strabo quidem Ubium non Εὔβιον, sed Οὔβιον transcribit; ceterum apud Graecos perrarum nomen est; de diphthongo conferatur Λεύκιος *Lucius*, sim.